

desideratam, partim ad nosmet ipsos referamus;
partim in se ipsâ eam consideremus.

14.

(1) *Ad nos ipsos Res desiderata referenda est*, ut cognoscatur, num ipfi obtinendæ pares simus. Atque hic inquirendū nobis erit tum in *Adjuncta Naturalia*, tum in *Adjuncta accessoria*. Ex *Naturalibus* considerentur partim *Dotes animi*; ne v. g. studiis se addicat, qui ingenium experitur stupidum; aut Consiliarii munus affectet, qui judicii caret acumine: partim *Dotes Corporis*; ne v. g. Orator velit evadere, qui linguæ vitiis laborat; aut inter pictores olim tentet excellere, qui visu destitutus est. *Ex Accessoriis* verò *Adjunctis* respiciamus: partim ad vitæ professionem, & conditionem, ne v. g. eruditorum conversationem quærat, qui ad Rusticos pertinet; aut ad Dignitates evehi velit, qui ex Plebis fece est: partim ad scientiam & artem, ne v. g. Professionem Academicam petat, scholæ paganæ Directorio vix idoneus; aut de rebus civilibus judicare velit, qui legum tenorem non perspectum habet. Partim ad facultates & opes, ne v. g. Mathematica studia tractet, qui sumptibus caret; aut Mercaturæ se addicat, qui unde Merces comparandæ sint, nondum perspexit.

15.

(2) *In se ipsâ Res desiderata etiam spectanda est*, ut appareat, tum, quo usq; cum Honestate conveniat; tum quo usq; futura sit utilis. Hæc enim qui in suis desideriis non attendit, non Fortunam, sed pro-

B

prium